

QUESTIO XV.

Quare regulus interroget de hora, qua filius restitutus est sanitas?

105. Ammon. An ex defectu fidei Regulus interrogaverit?

Beaulxam, Maldon, Chryfost. August. D. Thom. Graves sunt authores, ut Ammonius, & alii, ut dixi in expositione, qui dicunt quod Regulus sciscitatur de hora sanitatis pueri, non ex defectu fidei; sed ut magis fidem suam confirmet. Nam ad confirmanda ea, quae credimus, rationes etiam adducimus, ut notant hic Beaulxames, Maldonatus, & alij. Tamen quod nondum Regulus perfectè, ac consummatè crederat, dixi ibi ex D. Chryfostomo, August. S. Thoma, & aliis. Et ideo sciscitatur hic de hora, in qua puer recuperaverat sanitatem, ut cognoscat, an casu vel virtute Christi eam obtinuerit. Et hæc est ratio germana, & literalis. Ad alias morales accedamus.

106. Carthuf. Secundò Carthusianus post superiorem rationem datam, aliam etiam assignat. Idcirco, ait, forte horam quaerit ut & alios, præsertim domesticos suos, solidaret in fide. Bene noverat Regulus horam, in qua puer sanatus erat, nempe illa, in qua Jesus ei dixit: Vade filius tuus vivit. Tamen quaerit temporis articulum à servis suis, ut inde sumat occasionem, ac motivum eos docendi, ac instituendi in virtute, potentia, ac excellentia Christi Domini. Perfecta charitas astute dissimulat necesse ut alij doceantur.

107. Franc. Luc. Tertiò dixerat Dominus Regulo: Vade filius tuus vivit. Anceps erat Regulus, an Dominus prædixisset sanitatem pueri, ac effecisset, ut notat Franciscus Lucas. Deinde, an salus venisset virtute Christi, vel casu. Sciscitatur ergo horam sanitatis, ad authorem tanti beneficii deprehendendum, ac cognoscendum, ut illi se maximè attribuat fateatur. Gratus animus totis viribus, ac affectu intendit, recognoscere eum, à quo beneficium accepit, ut se illi devotum protefteretur, & ut nunquam ejus memoria ex animo excidat. Ingratus verò nil majori conatu appetit, quam dona obnubilare, manum multa largientem non recipere, ut nulli obligatum se profiteatur. Vide lib. 3. cap. 2. num. 13.

108. Quartò. Accepit pater gratissima, ac valde optata nuntia de filij salute, & tamen in festivitate, ac jucunditatis signa non prorumpit, ut sæpè contingit; nec pro felici nuntio munera largitur, ut in similibus fieri solet sed totus intentus est in dignoscenda hora, qua se melius habuerit. Vita pueri, quamvis parenti optatissima, quid temporale erat: at quod ipse cognosceret horam, in qua integras vires filius recuperaverat, multum conducebat ad perfectam suæ fidei consummationem, utque servi ejus, Christi potentiam ac virtutem agnoscentes, inter fideles, ac credentes numerarentur. Cùm ergo homo discederet, ex Christi colloquio jam habebat odorem ut pro divinis humana contemneret, & caduca. Et ideo jam non tantum ferebatur in studium temporalis vitæ dilectissimi filij, quantum ad ea, quæ conducebant ad fidem, ac spiritualem vitam animæ tam suæ, quam aliorum.

109. Job. 1. Multis Job vexabatur calamitatibus, dicebat tamen: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est: & sic nomen Do-

mini benedictum, Job. 1. num. 21. Ex astutia verò Diaboli mulier sibi adherens ante instigabat, ut Dominum malediceret; ad quam Job sic factor: Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala autem quare non suscipimus. Job. 2. n. 10. Valde mirandum sanè, quod tam rigidè, ac severè Job in suam invehatur uxorem; cur ejus amabili non tangitur affectu? Nonnè Adamus, ut uxori blandiret, prolapsus est? Job ergo, si dictis uxoris non acquiescit, cur saltè amabiliter cum ea non agit, sed severè stultum appellat? Ait Job? Si bona suscepimus de manu Dei. Cùm patientissimus Patriarcha mentem attolleret ad Deum, oculos ad divinam defigeret bonitatem, statim terrena omnia, etiam sibi dilectissima parvipendit, ac contemnit. Ex ejus inconsideratione Adamus serpentis est laqueis deprehensus Origenes lib. 2. in Job: Sic, ait, Job ipse respexit eam, qui ante ad Deum respicebat, qui primum Dominum contemplantur, qui dudum ad æternam incorruptionem spaciè iter intendebat. Iste ergo, scilicet Adamus, respexit ad uxorem, ad insanas, ad miscipulum, ad subversionem, ad ruinam.

110. Qua habitas in hortis, amici ascultant: fac me audire vocem tuam. Fuge, dilecte mi, & assimulare caprea, bimulòque cervorum super montes arematum, Cantic. 8. n. 13. & 14. Septuaginta legunt: Qui habitas in hortis, amici sunt attendentes. Et juxta hanc lectionem, hæc sunt verba sponsæ ad Christum Dominum in hortis commorantem; à quo æterna beatitudine vocem ejus audire sponsa petit. Quæ voti compos facta, ut notat Ludovicus de Soto Mayor, Gislebertus ibi exposuit. 2. statim exclamat: Fuge, dilecte mi, super montes aromatum. Valde scitu dignum, quod cùm sponsus detineatur inter pomaria jucundissima, multa arborum distinctio-ne consista, magnaque florum varietate depicta; anima sancta exposcit; ut sponsus suus dilectissimus abeat; & fugiat super montes, quare? Per hortos terrenæ dulcedines significabantur; per montes verò cæli, ac æternæ felicitates, ut tradunt D. Ambrosius lib. de bono mortis, cap. 5. Cassiodorus, Philo Carpathius, Justus Orgelitanus, Beda, Anselmus, D. Bernardus serm. 9. in Psalm. Qui habitas. Ubi primam ergo Anima sancta sui sponsi fruitur voce; de æterna beatitudine loquente, jam non patitur, dilectum suum in terrenis hortis, commorari, sed ipsos fastidians, ac contemnens, vehementer avida appetit, ut suus dilectus ad cœlestia tendat, utque ipsa simul cum eo feratur ad ea. Et montes aromatum vocat, quia, cùm jam celestium odore tenetur, ei omnia vilescant terrena. Honorius Augustodienfis in Cantica: Fuge, dilecte mi, ait, quod est dicere: Recede de loco isto, & revertere ad Libanum, qui est mons aromatum, ubi est regale palatium; in quod me duc tecum. Et sicut bimulus velociter currit de estu in umbram, ita velociter perduc me in regiam aulam. Orat, ut eam aliquando de valle lacrymarum ducat in montem calorum, in celeste palatium, ubi ab hostibus segregata, cum amicis suis exultet in perenni gloria.

Pro æternis donis temporalia commendanda.

Job. 1.

Qui ad Deum respicit omnia contemnit

110.

Cant. 8. Septuag. Carpath.

Soto Mayor Gislebertus

Ambros. Cassiod. Carpath. Orgel. Beda. Anselm. Bernard.

Augustod.

QUESTIO XVI.

Quare hora septima sanatur puer?

111. Ratio literalis.

112. Alber. Mag. D. Thom. Bonavent. Hugo. Per Spiritum sanctum omnis vestra salus, & vita. Joan. 20. 1. Thom.

Isai. 30.

Quies valde conveniens ad salutem. Isai. 57.

Omnis Dei operatio in nostrum commodum.

113. Ammon.

Ubi homo ad Deum accedit, statim fructu suæ fidei gaudet.

114. Alber. Mag.

Genes. 3. Per eandem viam infernas, & remedium.

115.

Carthuf. Josue 11.

Ubi timor, ibi gaudium.

RATIO literalis patet ex textu versu sequenti, Cognovit pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit. Hora septima erat, quando Regulo dixit Jesus: Filius tuus vivit; & ideo in illa hora sanatus est. Sed quia omnia alto Dei consilio fiunt; ideo iterum redit quaestio, quare divina Sapientia disposuit, quod hujusmodi sanitas hora septima contingeret? quod Mystica expositione est explicandum.

Respondent primò, Albert. Magnus, S. Thomas, D. Bonavent. Hugo, & alij, quod per horam septimam, in qua puer à febre dimittitur, significatur septem dona Spiritus sanctij; per quæ fit in nobis omnis salus, ac remissio peccatorum. Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, Joan. 20. num. 22. Per Spiritum sanctum etiam, ait D. Thomas, causatur spiritualis vita in anima. Joan. 6. num. 64. Spiritus est, qui vivificat. Secundò ait Divus Thomas. Per horam septimam signatur tempus quieti conveniens, nam Dominus septimo die requievit ab universo opere, quod patrarat. In quo significatur, quod vita spiritualis hominis in quiete spirituali consistit. Isai. 30. num. 15. Hæc dicit Dominus Deus, si quiescatis, salvi eritis. Maximè enim conducit ad salutem, quiescere à negotiis, ac perturbatione mundana, qua maxime æstuat, ac agitur iniquis. Isai. 57. num. 20. Cur impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest; redundant fructus ejus in conculationem, & lutum. Vel dic, quod in die, in qua Deus requiescit, vacat etiam homo à labore febris, ac pressuræ, quia sive Deus operetur, sive quiescat, totum est commodum nostrum.

Tertiò, Ammonius in Catena Græca: Primam quidem credebatur, ait, sed postea respecta factum commisit, quod futurum crederat. Plurimum namque fides valet, cum effectorem, ac consummatorem sui habeat Deum. Eadem hora septima, qua credidit, fructum suæ fidei est consecutus. Una die credit, & altera agnovit puerum sanum. Qui enim accedit ad Deum, ac credit, statim suæ fidei fructu gaudet, & exultat.

Quartò, Albert. Magnus. Hora septima, ait, febris eum reliquit eadem, scilicet hora, qua febris genus humanam apprehendit, hoc enim factum est post meridiem, Genes. 3. n. 8. Valde proportionatè confert Deus remedium ad infirmitatem. Et quia genus humanum lethali febre agrotavit post meridiem, Deus, ut optimus Medicus confert sanitatem puero in figuram totius generis humani, eadem hora, qua agrotaverat.

Cùm audiretur in terra Chanaan, quod advenerit Israel, congregati sunt Reges terre illius; qui, ut refert Carthuf, erant viginti quatuor Reges. Ait Deus Josue cap. 11. n. 6. Ne timeas eos, erat enim hæc eadem hora tradam omnes istos vulnerandos in conspectu tuo. Sed cur eras eadem illa hora erant tradendi ejus inimici? Ob tantam multitudinem congregatam erat totus Israël valde timidus, & magna formidine concutebatur illa eadem hora, in qua timor de hostibus eos

invaserat, dat Dominus gaudium de victoria consecuta, ut in illo diei articulo, in quo in aliquibus poterat irrepere dissidentia, certissima spe solidantur.

Cùm Samaria propter Assyriorum obsidionem fame maxima premeretur, itant mulieres comederent filios suos, quod cùm accepisset Rex, furorè actus promisit, se Elisæum interfecturum 4. 6. num. 31. Quod cùm audisset sanctus Dei Propheta, dixit Elisæus ducibus Regis: Audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus: In tempore hoc eras modius simila uno statere erit, & duo modij hordei statere uno in porta Samaria, 4. Reg. 7. n. 1. Dum Propheta ait, In tempore hoc eras, id est, in hac eadem hora eras, ut communiter tenent 4. Reg. 7. Expofitores. Sed cur tanta abundantia promittitur à Propheta die sequenti illa eadem hora, & non in alio temporis spatio? Ut omnibus nota sit Dei benevolentia, quia populus pro tunc maxima fame laborabat, & Rex ita erat febre phreneticus, ut Prophetam vellet occidere, tunc in ipsa eadem hora panditur Dei benignitas dans levamen, ac medicinam, in omnes suam misericordiam diffundens, Abulens. Oppresserat, ait, Deus Samaritanos fama magna, & finita fuerat in hoc, quod due mulieres comederant filium unius: ideo Deus volebat jam avertere iram suam, & dare abundantiam; & pronuntiavit hoc Elisæus: In tempore hoc, scilicet, in hora ista.

116.

Ubi necessitas urget, ibi Dei auxiliium.

Abulens.

Joannis 4. n. 53. Cognovit ergo pater quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit; & credidit ipse; & domus ejus tota.

VERSIONES.

Syriacus. Et cognovit pater ejus, id contigisse ea ipsa hora, qua dixerat ei Jesus. Variablis. Intellexit ergo pater illam esse horam, qua dixisset sibi Jesus.

EXPOSITIO.

PATER, ut notat Rupert. lib. 4. in Joan. diligenti memoria tenebat ex industria notatam horam, quæ ei dixit: Filius tuus vivit. Et ideo collatione temporis facta ex his, quæ audivit à suis servis; nam illa particula ergo; illationem denotat; intellexit, filium suum esse restitutum sanitati eo temporis articulo, quo Dominus dixit, Filius tuus vivit. Et credidit ipse, scilicet, à Christo absente puerum fuisse sanatum. Ac credidit, Christum verum esse Deum, & Messiam; Et quia antea crederat, ut est mihi probabilis, imperfectè; nunc credidit integrè, & consummatè. Si verò dicas cum Ammonio, quod ipse antea perfectè crederat; tunc dic, quod hic habet fidei augmentum, ut hoc loco explicat Maldonatus. Unde ait Beda in Catena: Dicitur intelligi, in fide Maldon. gradus esse, & sicut & in aliis virtutibus, quibus est incipit.

117. Rupert.

Ammon.

Beda.



initium, incrementum, & perfectio. Hujus ergo fides initium habuit, cum filius salutem petii, incrementam, dum credidit sermoni Domini, dicentis: Filius tuus vivis. Deinde perfectionem obtinuit nuntiantibus servis.

118. Et domus ejus tota; hoc est uxor filij, famuli, & ancillae. Bonus pater familias qui totam suam domum ad fidem adduxit. Ad quod maxime hortatur Paulus praepositos domorum, 1. Timoth. 5. num. 8. Si qui autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infidelis deterior. Et ita illa mulier Lydia postquam ipsa baptizata est, totam suam familiam baptizari fecit, Act. 16. num. 15. Similiter & cultus carceris ibidem numero 33. & Archisynagogus Act. 18. num. 8.

119. Ex quo tria ad nostram eruditionem consideranda sunt. Primum, quam potens sit exemplum; ubi primum Dominus credidit, statim famuli credunt. Unde ait hic D. Thomas, secundum conditionem dominorum sive bonam, sive malam, servi disponuntur, juxta illud Ecclesiastici 10. num. 2. Secundum judicem populi, sic & minister ejus. Secundum. Plus nobis largitur, quam petimus, ac optamus. Regulus rogabat pro corporali filij salute, & Dominus ei concedit, non solum ejus vitam temporalem, sed etiam spirituales tam filij, quam totius familiae. Tertio. Vide altum Dei consilium. Videbatur magnum supplicium, quod filius Reguli tam graviter premeretur morbo; & tamen hoc magnum beneficium est concessum, ut inde ipse, ac filius, & tota familia in Christi cognitionem venirent, ac firma perfectaque fide in eum crederent.

QUESTIO XVII.

Quare ad solum sermonem Domini multi Samaritani crediderunt in Christum; ad istud autem miraculum sola domus Reguli?

120. Ex hoc cap. 4. Joan. n. 93. patet, quod audito tantum sermone Domini, multi Samaritanorum crediderunt in Christum; viso autem hic, & cognito tanto miraculo, solum domus ista credidit. Quare ergo tam pauci, inspecto tam mirabili opere de sanitate hujus pueri, reducantur ad fidem? Hoc dubium valde spatiosè proponit Augustinus tract. 16.

121. Respondet primò citatus Augustinus Ad solum sermonem ait, crediderunt plures Samaritani: ad illud miraculum sola illa domus credidit, ubi factum est. Quid igitur fratres? Quid nobis commendat Dominus? Tunc Galilaea Judae patria erat Domini, quia ibi nutritus est. Latè prosequitur S. Pater hoc explicando. Semper extranei propensiores in Dominum, quam patrij, ut ipsemet Salvator dixit hoc cap. 4. Joan. n. 44. Ipse ejus testimonium perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non habet. In Samaria erat Dominus alienigena, in Galilaea patrius; ideo Samaritani audito Domini sermone absque ulla ostensione miraculi credunt in Dominum; ac Galilaei patrij, nam Capharnaum

Nemo in patrio, sed in alieno territorio bene accipitur. Joan. 4.

sub Provincia Galilaeae erat, cognito tanto miraculo non adducuntur ad fidem, nisi una tantum familia, quod confirmat Augustinus, quia Centurio cum esset Gentilis, & extraneus, multo praestantior fuit in fide Regulo, nato ex Galilaea.

Secundò D. Remigius in cap. 15. Epistolae ad Romanos. Per hoc enim, ait, quod, viso miraculo sanitaris in filio illius, perpauci crediderunt, pater videlicet illius cum suis, signabantur, quod paucitas Judaeorum creditura esset in Deum. In Samaritanis designabantur Gentiles, in Galilaeis vero Judaei; & quia è Gentium numero multi erant in Christum credidit, jam in figura popalorum Samaritani quamplurimi Christi fidem receperunt: & quia ex Judaeis pauci, ac rari Salvatoris fidem sunt amplexati, ideo viso tanto miraculo, una tantum domus convertitur. Jam perpauci Judaei conversi sunt ad Christum, ut dicuntur reliquiae, ut notant D. Hieronymus, D. Cyrillus. Isai. 10. n. 21. Reliquiae convertentur, reliquiae, inquam Jacob ad Deum sortem. Jerem. 6. n. 9. Usque ad racemum colligent, quasi in vinea reliquias. Isai. 10. n. 12. clamat: Si fuerit numerus filiorum Israhel tanquam arena maris, reliquiae salva erunt. Unde dicebat Deus per Michæam 7. n. 1. Factus sum sicut qui colligit racemos in Autumnò.

Tertiò. Franciscus Luca hoc loco existimat, Centurionem illum Capharnai praefidarium, de quo alij Evangelistae (qui cum hoc Regulo, ibidem habitante, familiaritatem intercessisse, haud dubium esse potest) ex hoc miraculo à Regulo relato haussisse fidem illam extriniam dominico ore tempore laudatam, quam poscens sanitatem servi sui paralytici, dixit: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus, Matth. 8. n. 8. Hoc ipse ait. Tamen Evangelista tantum dicit, quòd domus ejus credidit, & de nullo alio facit mentionem. Si tamen hanc velis tenere sententiam, dic, quòd quando miraculum factum est, tunc tantum domus ejus credidit; postea verò successu temporis ex relatis à Regulo alij crediderunt. Et non est parva Reguli laus, quod tantum habuerit discipulum.

Quartò. Dicam quod sentio, Samaritani crediderunt audito & percepto verbo ex ore Jesu, ut narrat Evangelista Joan. 4. n. 41. quòd homines exierunt de civitate; & venerunt ad eum. Et multo plures, ait, crediderunt in eum propter sermonem ejus; & mulieri dicebant: Iam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus. At Capharnaitae in hac occasione hoc miraculum factum non audierunt ex sacratissimo Domini ore; nam ipse modò erat in Cana Galilaeae, ut patet ex principio hujus historiae n. 46. sed intellexerunt illud ex his, quae Regulus publicabat: Cognovit ego pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus Filius tuus vivis. Verba autem ab ore Christi prolata multam, & miram habent efficaciam ad trahendum. Et ita ait noster Joannes 4. num. 39. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris, & multo plures crediderunt in eum, propter sermonem ejus.

Cum jam divina praedicatione ab ore Christi inciperet se diffundere in orbem, exclamant spiritus immundi: Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene

Augu.

122. Remigius.

Perpauci Judaei ad Christum conversi.

Hieron. Cyrill. Isai. 10. Jerem. 6.

Rom. 9.

Mich. 7.

123.

Franc. Lucas

Matth. 8.

Centurio discipulus Reguli.

124.

Verba ab ore Christi prolata magnam habent efficaciam. Joan. 4.

125.

Marc. 1.

Quanta sit in verbo ex ore Jesu efficaciam.

Vi. Antio.

vene i venisti perdere nos, Marc. 1. n. 24. Cujus rei communis sententia est, quòd Christus Dominus praedicans divina virtute vehementer afflixisset Diabolum, qui ideo timebat praedam suam à tanto conconatore sibi eripi. Nonne antea caelestis vox illa praedicaverat divinus Baptista? Nonne antea tot Prophetae, eximii divini verbi praeco- nes exiere in orbem, & nunquam Diabolus sic exclamavit? Quare modo sic anxietur? Aderat nunc verbum ore Christi tonans, quod quamvis semper fuerit valde efficax; tamen cum ab ipsa- met Domini persona profertur vehementer praepotens, ideoque Diabolus magno nunc tremore concutitur, ne totum suum negotium perdat. Victor Antioch. de clamore Diaboli loquens, Quorsum; ait, hac pervenit? huc uigete. Nullum nobis amplius locum reliquum facit: nam & impietatem è medio tollis, & ex ore m proscris, & Dei no- titiam mortalium peccatoribus inseris. Vide supra quast. 13. num. 93. 94. & 95.

Ioannis 4. n. 54. Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset à Judaeis in Galilaeam.

VERSIONES.

Syracae. Hoc signum secundum rursus edidit Jeschua. Arabici. Hoc etiam secundum signum.

EXPOSITIO.

126. Notat Evangelista, quòd hoc fuit secundum signum, non simpliciter, & absolute, sed respectivè, quando venit à Judaea in Galilaeam. Nam postquam edidit illud primum signum de conversione aquae in vinum in Cana Joan. 2. n. 11. multa alia fecit Jerusalemis, cum esset dies festus, eodem cap. 2. n. 22. Tamen ex his, quae Dominus fecit in Galilaea; ut notant Chrysostomus, Euthymius, hoc exstitit secundum signum. Adverit autem Evangelista, hoc fuisse secundum signum; ut considerant Chryl. Theophyl. Albert. Magn. D. Thom. D. Bonav. ut denotetur per hoc, quòd Galilaei deteriores erant Samaritanis, quorum multi nullo signo viso, sed tantum verbo Domini audito, crediderunt: ex Galilaeis autem, duobus jam visis signis, non credidit, nisi Regulus & domus ejus tota. Vel fortasse, ut vult Toletus, Evangelista adjunxit, hoc fuisse secundum signum, ut significaret, hanc historiam esse gestam ante omnia miracula, quae caeteri Evangelistae facta esse in Galilaea describunt.

Chrysof. Euthym. Chrysof. Theoph. Alber. Mag. D. Thom. Bonavent.

Tolet.



CAP. VII.

Piscatur Petrus in Genesareth.

Luca 5. n. 1. Factum est autem, cum

turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth.

VERSIONES.

Syracae. Factus est autem, cum coacta esset ad eum turba ad audiendum sermonem Dei, ut ipse staret juxta littus maris Genesar. Euth. Theoph. Cum turba immineret ei, ut audiret sermonem ejus. Avias. Factum est autem in eorum turbam superjacere ei, ad audiendum verbum Dei, & ipse erat stans. Variablis. Cum turba incumberet ei.

EXPOSITIO.

Factum est, hoc est, in illis diebus; nam aliqua, quae Evangelista narrat cap. 4. ut ingressus in domum Simonis, & sanatio socrus illius, contigerunt post hoc miraculum piscationis. Nam sacris Evangelistis tantum propositum fuit res gestas Christi summam, ac verissimè narrare, & describere, non servato dierum ordine. Et ideo quae in idem ferè tempus incidunt, liberè permiscet. Cum turba irrueret in eum; magna enim turba concurrebat ad eum audiendum, ita ut veluti comprimerent eum; nam quilibet ad illum appropinquare volebat, ut notat Divus Bonaventura Deuter. 33. num. 3. Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de Deo doctrinam illius. Hi autem, qui veniebant, ut aie Hugo, quidam concurrebant; ut miracula nova viderent, tanquam curiosi; alij, ut sanarentur, hi providi; alij, ut observarent, hi invidi. Ipse stabat secus stagnum Genesareth. Lacus est, per quem Jordanis inflois, de quo dicam infra Beda. cap. 8. num. 1. vide ibi. Dicitur mare Genesareth à quadam civitate nomine Genesareth, quae erat in littore hujus maris à parte occidentali, Zachar. quae postea, ut multi volunt, dicta est Tiberias, Hugo, vel dicitur Genesareth, ut docent Beda, Divus Bonaventura, S. Antonius Ulyssipon serm. in Genesareth Dom. 5. post. Trinit. Simon Cassianus lib. 9. c. 15. Zacharias Episcopus, Hugo, quòd Genesar Graeco vocabulo dicitur quasi generans sibi auram à proprietate illius lacus, quia crispantibus aquis de se frequentes excitat auras, illaque aquarum fluentia auram quandam generare videbatur. Verum neque Genesareth Graecum est, sed compositum ex 12 hortus, & 70 Princeps. Ideo in bibl. nomin. interpretatione, Genesar & Genesareth vertitur hortus Principis; fuit enim amenissimus tractus; de quo vide Egesippum lib. 3. 26. Quod autem attinet ad finem, in Hebraeum,

1.

Evangelista temporis ex- servans.

Bonavent.

Ant. Ulyssip. Cassian. Zachar. Hugo.

serm. in Genesareth Dom. 5. post. Trinit.

Hebraeum,